



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

27. Februarii. Difficilior ad virtutem genius, si seipsus fortiter expugnet, duplò meritis auctior evadet præ illis, quibus lene ac lentum ingenium nihil facessit negotii. S. Ignar. ap. Bart. l. 4. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Semper facta propositis minora sunt,
Si soli præceptorum jugo te submittas, in
proximo est, ut tentatione victus, etiam
hoc excutias.

Optima, dum licet, eligere nemo pru-
dens dubitaverit; tutiora præponimus in
securis, & cur minor animæ, ac inferior
cura salutis, habeatur?

27. Februarii.

*Difficilior ad virtutem genius, si seipsum
fortiter expugnet, duplò meritis auctior
evadet præ illis, quibus lenè ac lentum
ingenium nihil facessit negotii. S. Ignatius
ap. Bart. l. 4. §. 12.*

Malè judicat, qui ex morum placidi-
tate de virtute fert sententiam, non
qui se gerat in externis, verùm qui se inte-
riùs vincat, inspiciendum, ut vera virtutis
decempeda statuatur.

Magnum naturæ beneficium est, velle
conari, cui si labor accedat, id brevi in se-
quetur, ut, quod negavit natura conatus
efficiat.

Nec ita obstinatus est ullus genius,
quem conatus non emolliat. Proxena
naturæ, consuetudo est, ita seu celare, seu

forma

formare novit indolem, ut agnos è leonibus fecerit, Aude aliquid.

Si consuetudo altera natura est, beatus es, quia pro gustu tuo naturam potes eligere. Muta mores, & naturam commutasti, ex naturali in artificialem. Facillimum est passionum remedium, nova consuetudo.

28. Februarii.

Quisquis inter homines agere, versarique tutus desiderat, summi planè momenti id esse ducat, ut æquus sit omnibus, obnoxius nemini. S. Ignat. ap. Orland. l. s. n. 24.

PArtiales affectus periculosi sunt: à naturâ, non virtute nascuntur, à passione, non ratione nutriuntur: se, non Deum attendunt, quem si respicerent, quàm sit pater omnibus æquus, viderent.

Punctum circuli decet imitari: ex eo pares in omnem partem ducuntur lineæ, hæ quantùm in unam plùs partem inclinarent, tantùm recederent ab alterâ. In medio virtus.

Ut sol eodem omnes vultu aspicit, futurus his injurius, si solus aliis luceret; ita sine